



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

Sermones VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

In Dedicatione Ecclesiæ, Sermo I. 473

in principio (sicut ipse cognovi) super huiusmodi tentamenta sustinuit, sed cum multo luctamine pugnavit & vicit. Et sicut tunc ei durum erat pugnam in tentationibus sustinere, sic ei modo durius esset ad illas ineptias revolare, quia bona consuetudo pervenerat in naturam. Exercete vos in doctrina ista, & attendite formam illam quam vidistis in eo & audistis: ut ad eum perveniatis ad quem ipse pervenit, qui est benedictus in sæcula, AMEN.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

S E R M O I.

**F**estivitas hodierna, Fratres tanto nobis debet esse devotior, quanto familiarior est. Nam cæteras quidem Sanctorum solennitates cum Ecclesiis aliis habemus communes: hæc verò sic nobis est propria, ut necesse sit, vel à nobis eam, vel à nemine celebrari. Nostra est, quia de Ecclesia nostra: magis autem nostra, quia de nobisipsis. Miramini forsitan & erubescitis celebrari festa de vobis, sed nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Quid enim lapides isti potuerunt sanctitatis habere, ut eorum solennia celebremus? Habent utique sanctitatem, sed propter corpora vestra. An vero corpora vestra sancta esse quis dubitet, quæ templum sancti Spiritus sunt, ut sciat unusquisque possidere vas suum in sanctificatione? Itaque sanctæ sunt animæ propter inhabitantem spiritum Dei in vobis. Sancta sunt corpora propter animas, sancta est etiam propter corpora domus. Adhuc certè corruptibili tenebatur in carne, & in corpore peccati, in quo & grave adulterii crimen admisit illius anima qui dicebat *a*: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Mirabilis plane DEUS in Sanctis suis, non modò in cælestibus, sed etiam in terrenis. Utrobique sanctos habet, & in utrisque mirabilis est: illos quidem beatificans, istos sanctificans.

An experimentum quæritis eius de qua loquimur sanctitatis, & sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? Multi certè ex vobis à peccatis & vitiis in quibus computruerunt tanquam jumenta in stercore suo, exiere viriliter; & quotidie impugnantibus eis potenter resistunt, juxta Apostolum qui de sanctis loquens utique *b*. *Convalescerunt*, inquit, *de infirmitate fortes facti sunt in bello.* Quid mirabilius, quando is qui prius vix per biduum poterat à luxuria, crapula, & commestationibus, & ebrietatibus, à cubilibus & impudiciis, cæterisque similibus & dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tota utique vita sua? Quod maius miraculum, quando tot juvenes, tot adolecentes, tot nobiles, universi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenen-

*Festivitas dedicationis non tam templi consecrati materialis, quam nostri spiritualis.*

*a Psal. 85. a  
Duplices sanctos habet Deus, alios in cælis alios in terris.*

*b Hebr. 11. f  
Nec his terrenis sua desunt miracula.*

tur sine vinculis, solo Dei timore confixi, quod in tanta perseverant afflictione poenitentiae ultra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Ipsi, credo, videtis quanta jam possemus invenire miracula, si perscrutari sigillatim liceret singulorum exitum de Aegypto, & deserti viam, id est, abrenunciationem seculi, introitum monasterii, in monasterio conversationem. Quid vero sunt haec, nisi manifesta inhabitantis in vobis Spiritus sancti argumenta? Nam habitare in corpore animam, probant vitales motus corporis: habitare in anima Spiritum probat vita spiritualis. Illud ex visu & auditu dignoscitur: istud ex charitate & humilitate, caeterisque virtutibus.

Vestra est igitur, Fratres charissimi, vestra est hodierna festivitas. Vos dedicati estis Domino, vos elegit & assumpsit in proprios. *Tibi* (inquit Propheta) *derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Quam bene commutastis, dilectissimi, quicquid habere potuistis in seculo, quando nunc relinquendo ea, proprii esse meruistis auctoris seculi, & eum habere propriam possessionem, qui sine dubio portio & haereditas est suorum. Neque enim, sicut dixerunt filii iniquitatis, *beatus populus cui haec sunt* <sup>d</sup>, temporalia scilicet quae praemiseraat, *promptuaria eruētantia ex hoc in illud, oves saetosa & similia*: non, inquam, beatus populus cui haec sunt, sed *beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Videte ergo, si non dignum sit ut festum agamus diem quo nos assumpsit in proprios, & investivit se per ministeriales & vicarios suos: ut fiat sicut jam olim promiserat: Ego, inquit, *in medio eorum ero eorum Deus*: nos autem populus eius, & oves pascuae eius. Quando enim domus ista per manus pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est; non solum qui praesentes sumus, sed & quicumque usque in finem seculi Domino sunt in hoc loco militaturi.

In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quae in parietibus visibiliter praecesserunt. Et si vultis scire, haec utique sunt: *Aspergio, Inscriptio, Inunctio, Illuminatio, Benedictio.* Haec utique in hac visibili domo fecere Pontifices, haec & Christus assistens pontifex futurorum bonorum invisibiliter quotidie operatur in nobis. *Primo* siquidem aspergit nos hyssopo, ut mundemur, lavemur, dealbemur, dicaturque de nobis <sup>f</sup>: *Quae est ista quae ascendit albata?* Lavat, inquam, nos in confessione, lavat nos lachrymarum imbre, lavat sudore poenitentiae: magis autem lavat nos aqua illa preciosa quae de fonte pietatis, id est, ab eius latere emanavit. Aspergit nos hyssopo, quae humilis herba est, & pectoris purgativa: aqua sapientiae salutaris, quae est timor Domini, initium sapientiae, & fons vitae; etiam condimentum salis admiscens, ne sit insipidus timor sine spe

*Homo spiritualis unde nascendus.*

*c Psal. 98  
Qui reliquerunt omnia, relicti sunt DEO.*

*d Psal. 143. c*

*Beatus qui Deum habet.*

*e Zach. 2. b*

*Dedicatio templi Materialis, typus spiritualis.  
f Cant. 8. b  
Ritus & ceremonia in dedicatione, usitata spectant ad instructionem templi mystici.*

*h, Aspergio.*

In Dedicatione Ecclesiæ, Sermo I. 475

spe, sine devotione. Nonsolum autem, sed *inscribit digito Dei*, in quo ejiciebat dæmonia, haud dubium quin in Spiritu sancto. Inscribebat inquam legem suam non jam in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus, propheti- cam implens promissionem, qua se pollicitus est & ablaturum cor lapi- deum, & carneum cor esse daturum, id est non durum, non obstinatum, non Judaicum: sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed devotum.

*Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum* <sup>b</sup>. Beati in- quam qui docti & memores sunt mandatorum eius, sed ad faciendum ea <sup>i</sup>. Alioquin scienti bonum & non facienti, peccatum est illi <sup>k</sup>: & servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagas vapulabit multis <sup>l</sup>.

Unde necesse est ut *unctio* spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram, observantiarum & multimodæ poenitentiae cruces, devotionis suæ gratiâ liniens: quia nec sine cruce sequi Christum, & sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est quod multi abominantur & fugiunt poenitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam unctio- nem. Vos qui experti estis, ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adjuvantis suavis & delectabilis est poenitentia no- stra, & ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. At postquam unctio gratiæ huius præcesserit, jam lucernam suam Christus non ponit sub mo- dio, sed super candelabrum: quia tempus est ut luceat lux nostra coram hominibus, & videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est <sup>m</sup>.

Jam verò benedictionem quidem expectemus in fine, quando ape- riet manum suam & implebit omne animal benedictione. Nam in qua- tuor præmissis merita constant, in benedictione sunt præmia. In benedi- ctione tota complebitur gratia sanctificationis, quando jam in domum transibimus non manufactam, æternam in cœlis. Ipsa est quæ construitur vivis ex lapidibus, Angelis scilicet & hominibus. Simul enim ædificatio & dedicatio ipsa complebitur. Disiuncta nimirum ligna & lapides, do- mum non faciunt, nec in eis habitare quis potest; sola vero conjunctio domum facit. Sic cœlestium spirituum perfecta unitas, sine ulla sibi di- visione connexa, integram & congruam DEO reddit habitationem, quam ineffabiliter beatificat inhabitans gloria maiestatis. Quis enim sic sciret universa regum consilia, aut quis eorum omnia dicta vel facta sic nosset, quomodo palatii ligna & lapides, si non deesset illis intelligentiæ sensus? Itaque cœlestis illius curiæ lapides vivi ac rationabiles divinis in- tersunt consiliis, & Trinitatis mysteria norunt, audiuntque verba ineffabi- lia quæ non licet homini loqui. Beati qui habitant in domo tua Domi- ne; in secula seculorum laudabunt te <sup>n</sup>. Quanto enim plus vident,

Sermones S. Bernardi.

ooo

plus

2. Inscriptio.

g Ezech. 11. d

b Psal. 93. b

i Psal. 102. d

k Iacob. 4. d

l Luc. 12. f

3. Unctio.

Cur male horreant poenitentia & disciplina cruce.

4. Illuminatio.

m Matt. 5.

5. Benedictio.

Ex Angelis & hominibus constructur domus DEI.

n Psal. 83. a

plus intelligunt, plus agnoscunt: tantò plus diligunt, tanto magis laudant, tanto amplius admirantur.

Verum quia coherere quidem sibi domum illam, & perfectè connexam esse jam diximus, superest ut juncturam & connexionem ipsam aliquatenus exprimamus. Legimus in Esaia<sup>o</sup>: *Glutino bonum est*. Duplici sibi igitur cohærent lapides illi glutino: cognitionis plenæ, & perfectæ dilectionis. Tanto siquidem maiori ad se invicem dilectione copulantur, quanto ipsi charitati, quæ DEUS est, viciniore affistunt. Sed nec ulla separare eos ab invicem suspicio potest, ubi nihil omninò quod in altero sit, alterum latere patitur penetrans omnia radius veritatis. Quoniam enim *qui adheret DEO, unus spiritus est cum eo* P: nihil dubium est quin perfectè adherentes ei beati Spiritus, cum eo pariter & in eo penetrent universa. Ad hanc domum si pervenire desideras, sic concupiscat & deficiat anima tua in atria Domini, sicut Propheta clamat: *Vnam petii à Domino, banc requiram ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Ipsum nihilominus imitare Prophetam<sup>r</sup>, qui sicut *juravit Domino, votum vovit Deo Jacob: si introiero in tabernaculum domus meæ* &c. Sed hinc alio sermone nobis tractandum erit, quod Dominus ipse donaverit.

o Isa. 41. b  
Lapides viri  
damus DEI  
quali glutino  
cohereant?  
nempe cog-  
nitionis & dile-  
ctionis.

p 1. Cor. 6. d

q Psal. 26. b

r Psal. 131. a

## IN DEDICATIONE ECCLESIAE,

### S E R M O II.

**O**lim Rex gloriosus & propheta Domini David sanctus, religiosa quadam coepit cogitatione moveri, indignum judicans, quòd nullam adhuc Dominus Sabaoth domum haberet in terris: ipse vero domum inhabitaret regiae dignitatis<sup>a</sup>. Hoc ipsum, Fratres, nos quoque decet cogitare fideliter, & viriliter effectui mancipare. Nam quòd licet DEO placuerit cogitatio illa Prophetæ, opus tamen reservatum est Salomoni: alia ratio est, fortè prolixiore indigens disputatione. Jam verò o anima, tu quidem sublimi in domo habitas, quæ à Deo tibi fabricata est, corpus hoc dico: quod sic compegit, quod sic aptavit, quod sic ornavit & ordinavit, ut gloriose in eo & delectabiliter habitares. Sed & ipsi corpori domum fecit excelsum, aptissimam & decoram, dico autem sensibilem hunc & inhabitabilem mundum. Nonne ergo indignum reputas, ut tibi ipse fecerit domum, tu vero ei templum ædificare dissimules? Adhuc domum quidem habes, sed certa esto quoniam in brevi casura est domus tua: & tu nisi prius provideris aliam, eris pluviae, vento & frigori exponenda. Heu à facie frigoris eius quis sustinebit? Felix proinde & multum felix anima quæ dicere potest b: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex DEO, domum non manus factam*

a 2. Reg. 7. &  
1. Paral. 17.

Indignū Deo  
in nobis deesse  
domum, qui  
nos in domo  
tam splend-  
da posuit.

b 2. Cor. 5.\*

*in factam, æternam in cælis.* Propterea jam ne dederis, ô anima, somnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, donec invenias locum Domino, tabernaculum DEO Jacob <sup>c</sup>.

<sup>c</sup> Psal. 131. b

Sed quid putamus fratres? Ubi invenitur huius ædificii locus, aut quis poterit esse architectus? Nam visibile istud templum utique propter nos factum est ad nostram habitationem. Neque enim Altissimus in manufactis habitat. Quod ergo ædificabimus templum ei qui dicit, & vere dicit <sup>d</sup>: *Cælum & terram ego impleo?* Tribularer valde, & anxietur super me spiritus meus, nisi quod audio eum de quodam dicentem <sup>e</sup>, *Quia ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ita jam scio, ubi præparanda sit domus ei, quoniam non capit eum nisi imago sua. Anima capax illius est, quæ nimirum ad eius imaginem est creata. propter quod jam festina, adornat thalamum tuum Sion, quoniam complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Exulta satis filia Sion, habitabit in te Deus tuus. Dic cû Maria tua *f: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.* Dic juxta beatæ Elizabeth verbum *g: Et unde hoc mihi, ut veniat maiestas Domini mei ad me?* Quanta enim Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quod Dominus universorum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri jubet in illis?

<sup>d</sup> Hier. 27. d  
<sup>e</sup> Ioan. 14. c

<sup>f</sup> Luc. 1. d  
<sup>g</sup> Ibidem.

Itaque, Fratres, toto cum desiderio, & digna gratiarum actione studeamus ei templum ædificare in nobis: primo quidem solliciti, ut in singulis, deinde ut in omnibus simul inhabitet: quia nec singulos dedignatur, nec universos. Primo igitur loco studeat unusquisq; ne diffideat ipse à semetipso, quoniam omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet <sup>h</sup>: nec intrabit Christus ubi fuerint parietes declinati, & maceræ depulsæ. Non enim corporis sui domum integram anima vult habere, & exire illam necesse est, si fuerint à se invicem membra dispersa? Videat ergo & ipsa, si desiderat habitare Christum per fidem in corde suo, id est in seipsa: sollicitè caveat ne à se invicem membra eius diffideant, id est ratio, voluntas, atque memoria. Sit ergo sine errore ratio, ut bene congruat voluntati. Talem enim voluntas amat. Sit & voluntas, sine iniquitate, quoniam ratio talem approbat. Alioqui si sese iudicat anima propter voluntatis pravitatem in eo quod per rationem probat, bellum intestinum est, & discordia periculosa: quoniam voluntatem huiusmodi ratio semper fugillat, sed accusat, sed dijudicat, sed condemnat. Propter quod ait Dominus in Evangelio <sup>i</sup>: *Esto consentiens adversario tuo dum es in via cum illo, ne forte adversarius tradat te iudici, & iudex tradat te tortoribus, &c.* Sit etiam memoria sine

*Quomodo Deus templum in nobis ædificandū.*

<sup>h</sup> Matt. 12. b  
1. *Stude ne diffideas ipse à temetipso.*

*Concordia sui ipsius constituit, si ratio vacet errore, voluntas iniquitate, memoria sordet.*

<sup>i</sup> Matt. 5. a

forde, ut nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confessione & dignis fructibus poenitentiae deleatur. Alioquin conscientiam in qua peccatum latet; & voluntas odit, & ratio execratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cuius nec ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria fuerit inquinata.

2. *Cura, ut  
mutua chari-  
tate coniun-  
gatis proximo.*

*Iam verò sic se habentibus singulis, etiam omnes nos connecti & conglutinari necesse est, mutua utique charitate quæ est vinculum perfectionis. Nam cognitio quidem perfecta in hac vita haberi non potest, forsitan nec oportet. In cœlesti quidem domo cognitio dilectionis est nutrimentum, hic verò esse poterat detrimentum. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Propterea facile erat & confundi cognitum, & cognoscentem offendi. Ibi jucunda erit cognitio, ubi macula jam non erit. Illa ergò domus connexa firmius est tanquam in æternum mansura, hæc tanquam tabernaculum bellatorum minus sibi perfecte cohæret. Illa nimirum domus lætitiæ, ista militiæ est. Illa domus laudis, ista orationis. Hæc inquam est urbs ortitudinis nostræ, illa est civitas requiei nostræ. Proinde si victoriosi fuerimus hic, illic erimus gloriosi: habentes locogaleæ diadema, sceptrum, & palmam pro gladio, pro scuto chlamydem deauratam, pro thorace stolam jucunditatis. Interim sanè premi magis quam peremi videtur utilius: & sustinere pondus clypei & lorice, quam maligni jaculis igneis vulnerari. A quibus nos superna sua protectione custodiat qui est benedictus in sæcula, AMEN.*

*Nunc pugnam  
dum ut tandem  
coronemur.*

### I N D E D I C A T I O N E T E M P L I, S E R M O III.

**D**Omus hæc, Fratres, æterni Regis est oppidum, sed obsessum ab inimicis. Quotquot igitur in ipsius arma jurati sumus, & eius militiæ sedimus nomina, triplici nobis opus esse noverimus apparatu ad custodiam castri huius: *munitione* videlicet, & *armis*, & *alimentis*. Quæ est ergo munitio? *Vrbs fortitudinis nostræ Sion* (ait Propheta) *Salvator ponetur in ea murus & antemurale*<sup>a</sup>. Murus continentia, antemurale patientia est. Bonus continentia murus, qui se undique circumdat & circumcingit: ut nec per oculorum fenestras, nec per cæteros sensus detur ingressus morti. Bonum antemurale patientiæ quod primos hostium sustinet impetus, ut inter plurima tentamenta stemus viriliter, & perseveremus jugiter incuncti. Unicum quippe remedium est dum continentia quatitur, & quodammodo nutat, objicere patientiam, & quantumcunque serveat sensus peccati, negare omnimodo consensum: *In patientia vestra*, inquit<sup>b</sup>, *possidebitis animas vestras*. Ponitur ergo in civitate Salvator ipse

<sup>a</sup> *Isa. 26. a  
Ad custodiã  
castri spiritua-  
lis quæ neces-  
saria; Nem-  
pe murus con-  
tinentia, an-  
temurale Pa-  
tientia.*

<sup>b</sup> *Luc. 21. d*

tor ipse murus & antemurale, factus nobis à DEO Patre iustitia, & Prophetae patientia, sicut idem ait <sup>c</sup>: *Quoniam tu es patientia mea Domine*. Murus, inquam, ponitur in conversatione, antemurale in passione, ab omnibus carnis & seculi praesentis illecebris abstinens, & adversa sustinens fortiter universa.

Oportet autem & arma parare, sed arma spiritualia potentia Deo, non modo ad resistendum, sed ad impugnandum quoque & expugnandum viriliter inimicum. *Induite vos armaturam Dei*, ait Apostolus, &c. <sup>d</sup>. Quid enim putamus fratres? Gravis equidem nobis est inimici tentatio, sed longe gravior illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas ejus atque versutia, sed multo amplius nostra eum simplicitas & misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, utitur charitate nostra, mansuetudine & obedientia cruciatur. Jam vero nec fame quidem urgeri possumus, ut hostibus castrum tradere compellamur: quoniam gratias ago Deo, non venit super nos terribilis illa comminatio Prophetae, imò Domini per prophetam <sup>e</sup>, famis videlicet & fitis, non panis & aquæ, sed audiendi verbum Dei. Sic enim habemus. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* <sup>f</sup>. Itaque non nobis alimenta desunt qui & sermones frequenter, & frequentius sacras lectiones audimus: & interdum quoque spiritualis devotionis gustamus delicias, tanquam si catuli edant de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum, cœlestes illos convivas dico, qui replentur ab ubertate domus Dei. Habemus etiam *panem lachrymarum*, qui licet minus suavis, optimè tamen confirmat cor hominis. Habemus *obedientia panem*, de quo loquitur ad Discipulos Dominus. *Meus* (inquiens <sup>g</sup>) *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei*. Habemus super omnia de cœlo *panem vivum*, corpus Domini Salvatoris, in cujus utique fortitudine cibi, omni adversæ partis deiicitur fortitudo.

Sic ergò munita est castrum dominici fortitudo, ut nihil jam timere oporteat, si tamen fideliter & viriliter agere voluerimus; ut videlicet nec proditores, nec pavidi, nec desides inveniamur. Nam proditores quidem fiunt quicumque in hoc Domini castrum inimicos ejus introducere moliantur, quales sunt utique detractores Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est. Non miremini, Fratres, si durius loqui videor: quia veritas neminem palpat. Omnino proditorem sese noverit, si quis forte (quod absit) vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, & templum Dei speluncam facere demoniorum. Gratias Deo, non multos hic invenimus hujusce-

Arma spiri-  
tualia.

d Ephes. 6. b

Commeatus  
sacer.

e Amos. 8. d

f Matt. 4. d  
& Deut. 8. a  
Panis verbi  
Dei.g Obediencie  
Ioan. 4. c  
Panis Corporis  
Domini.tio cuj  
venda.



Proditores ca-  
stri Domini-  
co quinam  
sunt.

h Ioan 12.d

Claramallis  
castrum  
Christi.

2. Cavenda  
pusillanimi-  
tas & turpis  
fuga.

3. Cavenda  
desidia &  
somnia.

i Iacob. 4. h  
k Psal. 126.a

modi. Sed tamen deprehendimus interdum fortè nonnullos, qui collo-  
quantur hostibus, & paciscantur sædus cum morte, hoc est moliantur  
(quod in eis est) imminuere ordinis disciplinam, intepescere fervorem,  
turbare pacem, lædere charitatem. Verum nos quidem caveamus ab  
eis quantum possumus: sicut scriptum est de quibusdam, *JESUS autem  
non credebat se eis*<sup>b</sup>. Dico autem vobis quia licet portentur modò, sed  
portabunt citò grave iudicium, nisi se citius emendaverint, sicut grave  
damnum moliantur inferre. Quid enim, frater? Vanitati aut tepiditati  
seu cuiuslibet alteri vitio fidem servas operibus, & Deo per tonsuram men-  
tiris? Optimum certe castrum tulisti Christo, si inimicis ejus tradideris  
Claramvallem. Optimos inde singulis annis & preciosos in oculis suis  
reditus accipit: & prædam multam quam hostibus eripit, in hunc mu-  
nitionis suæ locum solet inducere, & habet fiduciam multam in fortitu-  
dine ejus. Ecce enim quos redemit de manu inimici, & de regionibus  
congregavit eos, à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari. Quibus  
ergò proditorem castri hujus, postquam deprehensus & comprehensus  
fuerit (neque enim latere aut fugere potest) quibus, inquam, putas ex-  
ponendum esse supplicij? Non utique communi cæterorum morte  
damnabitur, exquisitis illum necesse est interire tormentis. Sed non  
modo plus immoror circa ista, credo melius deinceps ab hac tam execra-  
bili prodicione cavebimus, studentes de cætero majori sollicitudine non  
attrahere sed repellere vitia, quæcunque illa sũnt, seu carnalia, seu etiam  
secularia, ne proditorum notam vel pœnam incurrere mereamur.

*Secundo* loco etiam illud cavendum, ne quis fortè pusillanimitate  
dejectus, fugiat à munitione, ibi trepidans timore ubi non est timor,  
ubi verò summum periculum, insana temeritate securus. Hostilibus  
enim manibus, hostilibus gladiis se exponit, quicumquẽ est ille qui fu-  
git, ac si ignoret, quoniam hostes illi omnino carent misericordia, cru-  
deles quidem in alienos, sed multo crudeliores in suos, quippe crudelis-  
simi in seipsos.

Jam verò tertium quoque periculum breviter dico, quia hora  
præterit, dum vestræ, ut dignum est, salutis plurimum cupidus, diver-  
sis morum infirmitatibus remedia diversa conquiro. Quid prodest, si  
nec proderet castrum, nec relinquere velis, sed segnis & desidiosus in eo  
permaneat? Toto proinde animo, tota virtute, dilectissimi, commis-  
sum nobis castrum Domini & regis nostri manu tenere laboremus, solli-  
citi contra omnes inimici versutias, & adversus omnia ejus machina-  
menta parati, sicut scriptum est<sup>i</sup>: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*  
At quoniam scimus à quo dictum sit<sup>k</sup>: *Nisi Dominus custodierit civita-  
rem,*

tem, frustra vigilat qui custodit eam: humiliemur sub potenti manu Altissimi, nos & domum istam tota devotione ejus misericordiae committentes, ut ipse nos custodiat ab omnibus insidijs inimicorum omnium, ad laudem & gloriam nominis sui, quod est benedictum in saecula.

## DE DEDICATIONE TEMPLI;

## SERMO IV.

Votivis laudibus celebramus hanc diem, & festivis eam gaudijs honoramus. Quod si nec religiosis competit, nec sapientes decet ignorare, quid venerentur, aut celebrare, quod nesciant, quaerendum nobis est in cujus id agitur, vel in quorum commemoratione Sanctorum. Nec verò id mihi ex me arbitror praesumendum: prior loquatur alter, cujus testimonium majus sit, & credibilius videatur. Miramini forte cur ista praeloquimur, cum vestris sese obtutibus Ecclesia praesens manifestius ingerat, cujus anniversaria Dedicatio celebratur.

Quis enim parietes ejus sanctos dicere vereatur, quos manus sacratae pontificum tantis sanctificaverit mysterijs? Extunc quoque & deinceps sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum devota murmurare susurraria, sanctarum reliquiarum honorari beata praesentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. Dicas forsitan, caetera quidem evidentia sunt, sed quis angelicas sese vidisse excubias gloriatur? Et si tu forte non vides, est tamen qui videt, ipse qui mittit. Quis ille? Nimirum qui loquitur per Prophetam <sup>a</sup>. *Super a* Isaia. 62. c *muros tuos Hierusalem constitui custodes.* Est quidem sursum Hierusalem quae est libera mater nostra, sed minime crediderim super muros ejus constitutos esse custodes, in cujus laudibus Propheta decantat <sup>b</sup>: *Qui b* Psal. 147. a *posuit fines tuos pacem.* Tu verò si id parum judicas, perge audire quod sequitur in testimonio praecedenti. *Tota die, inquit, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Siquidem advertere est vel ex hoc, non hanc esse Hierusalem de qua legisti <sup>c</sup>: *Porta ejus non claudentur per diem, nox c* Apoc. 21. g *enim non erit in ea.* - Illa ergo Hierusalem nec vicissitudines patitur, nec custodibus eget nostris, potius custodes necesse est & diebus & noctibus deputari. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.*

Benignus es, Domine, nec nostrorum hac fragili protectione muros potes esse contentus, sed ipsis hominum praelatis hominibus angelicam quoque custodiam superponis, ut muros defenserent, & eos qui murorum ambitu continentur. Ita pater, quoniam sic est placitum ante te, sic necessarium nobis, insufficientis enim est ministratio nostra, nisi & nobiscum

*Ecclesiarum no-  
strarum san-  
ctitas.*

*Super a* Isaia. 62. c

*Qui b* Psal. 147. a

*c* Apoc. 21. g

*Præsentia &  
custodia SS. }  
Angelorum  
Deus munit  
Ecclesias.*

nobiscum & pro nobis administratorios spiritus in ministerium mittas, ut hæreditatem capiamus salutis. Quid enim si non videmus obsequium, cum experiamur auxilium? Quid si non meremur aspectum, cum sentiamus effectum? Discimus certè vel ex hoc ipso invisibilia visibilibus præferenda. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna <sup>d</sup>. Denique in invisibilibus visibilium causa consistit,

d 2. Cor. 4.  
e Rom. 1. c  
f Marc. 2. b  
ut secundum Apostolum <sup>e</sup>: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, à creatura visibili intellecta conspiciantur.* Sic nimirum Judæos olim de invisibili peccatorum indulgentia sanctum Dei blasphemantes, sanitatis corporeæ signo visibili confutavit <sup>f</sup>. *Vi sciatis quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.*

g Luc. 7. f  
Pharisæum  
judicans secundum speciem visibilem errat.

Magdalena  
non amplius  
peccatrix,  
quando poenitens,  
h Luc. 7. g

i Prov. 12. a

k 1. Cor. 6. c  
l Rom. 6.  
m 1. Cor. 3. c  
6. d

Quare Templorum san-

Sic & Pharisæum illum murmurantem adversus medicum, qui salutem operabatur, & succensentem languidæ quæ salvabatur, manifestis revicit indicijs, obsequia mulieris enumerans &. Errabat siquidem qui tanquam adhuc peccatricem horrebat, quæ divinis inhærens vestigijs, rigabat fletibus, tergebat crinibus, osculo premebat, ungebat unguento. Quis enim crimina jam deleta recenseat, quis tangenti succenseat, quis eam peccatricem censeat, quæ dum commissa deplorat, odit iniquitatem; dum osculatur pedes Domini, diligit justitiam: & rursus dum tergit crinibus, exhibet humilitatem: cum ungit unguento mansuetudinem præfert? Nunquid possibile est regnare peccatum in animo contrito & spiritu ingemiscenti, aut non multa charitas operit multitudinem peccatorum: *Dimissa sunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum* <sup>h</sup>. Merito proinde jam non peccatrix tuam, Pharisæe, sententiam, sed sancta & discipula Christi vocabitur, à quo etiam didicit in tam brevi esse mitis & humilis corde. Nimirum hoc est quod in Propheta legisti <sup>i</sup>, sed forsitan neglexisti. *Verte impios, & non erunt.* Sic, charissimi, sic & antiquus ille aculator fratrum, si in quibus & vos erubescitis præterita peccata vestra vobis impropere, Apostolum audite magnifice consolantem vos & dicentem <sup>k</sup>: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, & illud* <sup>l</sup>: *Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et manifestius imprimens; *Templum Dei, ait* <sup>m</sup>, *sanctum est, quod estis vos.*

Nimirum ipse est cujus reverentiæ primam in hujus sermonis principio reservavimus vocem, dum quæreremus sanctos, quorum sanctimoniam congratulamur devotione solenni. Licet enim parietes hos & dici sanctos, & esse faciat consecratio Episcoporum, frequentatio scripturarum, instantia orationum, reliquiæ sanctorum, visitatio angelorum: minime

## De Dedicacione Templi, Serm. IV. 483

minimæ tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari, quos nec propter se certum est sanctificari. Quinimmo sancta est propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter spiritum inhabitantem. Neque hinc dubitet quis, cum invisibilis ejus gratiæ visibile nobis signum fiat in bonum. Dico autem in eo quod & ipsi instar illius Evangelici paralytici surgitis, quod corporeum hoc grabatum, in quo jacebatis languidi, tam facile tollitis, quod denique ambulatis in domum vestram. Illam sanè domum, de qua lætamini dicentes cum Propheta <sup>n</sup>: *In domum Domini lætantes ibimus.* O admirabilis domus, & dilectis tabernaculis, & atriis concupiscibilibus præferenda. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & desicit anima mea in atriis Domini* <sup>o</sup>. Veram multo magis *beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Siquidem gloriosa dicta sunt de te, domus Dei. In tabernaculis enim gemitus est poenitentiae, in atriis gustus lætitiæ, in te satietas gloriæ. Hæc quidem est infima domus *orationis, media expectationis, tu gratiarum actionis & laudis.* Felix proinde qui hic declinaverit à malo quod est culpa, & fecerit bonum: ut illic à malo quod est poena liberetur, & in te recipiat bonum. Hic nimirum primitiæ spiritus, illic divitiæ, in te plenitudo ubi bona illa mentura conferta & coagitata & superfluens detur in sinus vestros. Hic denique sunt sancti, illic securi, in te beati. Hæc siquidem primitiæ spiritus; quæ militantibus interim prærogantur; sanctitas in *conversatione*, pietas in *intentione*, virtus in *colluctatione*. In sanctitate *conversationis* poenitentiae fructus intellige, & corporalia quæque divinatorum exercitia mandatorum. At quoniam hæc nisi simplex fuerit oculus, simplicia esse non possunt, necessario pietas *intentionis* & puritas cordis exigitur, ne vel honoris ambitus vel laudis surrepat appetitus: sed solus ille desideretur, qui solus desiderium replet, & ad proprii fontis originem omnis quam accepimus gratia revertatur. Memento tamen solam ex omnibus *perseverantiam* coronari, nec eam facile posse inter tot discrimina vendicari, nisi multiplicem obtineas in tam multiplici colluctatione virtutem. Hæc in tabernaculis.

Porro in atriis quæ post molestos conflictus amœna jucunditate fovendos excipiunt exeuntes, jam divitiæ spiritu erogantur: requies à laboribus, securitas à sollicitudinibus, pax ab hostibus. Ipse enim amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis, qui tanto fervore ocium hætenus interdiceret, labores indicere consuevit. Ipse seorsum à curis faciet, & ab omni sollicitudine sequestrabit, qui modo consilia ponit in anima sua, & sollicitam facit erga multa turbati. Ipse jam parta

Sermones S. Bernardi.

P p p

victo-

*Et ita honoretur: nempe non propter nos.*

<sup>n</sup> Psal. 121. a

<sup>o</sup> Psal. 83. a

Tres mansiones distinguit: infimam, mediam & supremam. Primam vocat tabernacula.

2. atriis. 7.

Domum Dei.

Primam tribuit

hic viventibus.

2. hinc migrantibus. 3.

in fine resurgentibus primitiæ spiritus;

que prærogantur militantibus in Eccles.

Milit.

Perseverantia

sola coronatur.

De atriis hifce

consule

Annot. ubi

antidoton

pro sententia

S. Bern. circa

statum animarum

post mortem.

victoria in pace idiplum suaviter dormire præstabit, qui dum adhuc leo rugiens fremit, & ad vigilias excitat, & accingit ad pugnam. Verum in his, ut supra tetigimus, liberatio magis à malo quàm boni muneratio est: nisi quod dura nos nostræ necessitatis experientia cogit, absentiam mali, boni cumulos æstimare: quemadmodum conscientia graviorum immunitatem criminum, plenitudinem reputat sanctitatis. Hinc advertere est, quam longe agimus à summo bono, qui carere culpa iustitiam, carere miseria, beatitudinem iudicamus.


*Suprema domus Dei voluptas, & gloria inestimabilis.*

Abfit autem ut talem quis putet ubertatem domus illius, & torrentem voluptatis, & si qua sunt alia quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se. Ne ergo audire velis, ô homo, quod auris hominis non audivit, nec ab homine quæras quod humanus nec oculus videt, nec animus capit. Ne tamen hinc penitus taceamus; nostram hanc patriam à longe salutantes, triplicem quandam odorari videmur, potentia scilicet & magnificentia & gloria repromissionem. Siquidem homo erat, & filius captivitatis hujus, qui dicebat *P*: *Introibo in potentias Domini.* Cæterum nos scire possumus quid sit infirmitate carere, tanquam infirmitate circumdari: quid verò sit virtute indui, & potentiam introire, nec modo potentiam, sed multam potentiam, fortè & omnipotentiam, interim scire non possumus. Clamat etiam testis fidelis *q*, *quia quos iustificavit, illos & magnificavit.* At magnificentiam eam, præsertim quam procedere deceat à magnitudine, cuius nec finis nec numerus est, utinam nostræ interim exiguitati liceat expectare, nam æstimare non licet. Iam verò ne ipsius quidem vereri necesse est aut habere suspectam gloriae promissionem, feliciter tunc & fiducialiter hauries gloriam, à cuius interim appetitu tantis comminationibus deterreris. Erit enim tunc unicuique laus à Deo, *secura certe & sempiterna, finis pariter & discriminis expers*, & ut scriptum est *r*: *Iucunda decoraque laudatio.* Eia ergò, fratres, viriliter interim in *tabernaculis* militemus, ut suaviter deinde in *atriis* requiescamus: ut novissimè in *domo* sublimiter gloriemur, momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ supra modum in sublime æternum pondus gloriae operabitur in nobis, cum in Domino laudabimur tota die, in veritate utique, non in vanitate.

*p Psal. 70. c*

*q Rom. 8. f  
Gloria sola  
secura, quæ  
in caelis ex-  
spectatur.*

*r Psal. 146. a*



## IN DEDICATIONE ECCLESIAE,

De gemina consideratione sui.

## SERMO. V.

**E**tiam hodie, Fratres, solennitatem agimus, & præclaram. Atque id quidem facile dixerim; sed si pergitis quærere cujus Sancti, illud fortè jam non ita. Quotiens enim Apostoli seu Martyris vel Confessoris alicujus memoria celebratur, haud difficile est dicere cujus: ut puta sancti Petri, & Stephani gloriosi, aut scilicet Patris nostri Benedicti, vel alicujus cæterorum magnorum principum magnæ curiæ cœli. Nunc verò nullius eorum solennitas agitur, agitur tamen nonnulla solennitas. Nec modo nonnulla, sed non parva. Et si jam vultis audire, festivitas est domus Domini, templi Dei, civitatis Regis æterni, sponsæ Christi. Nemo sanè ambigit sanctam esse sponsam Sancti sanctorum, & omni celebritatis honore dignissimam. An verò domum Dei sanctam esse quis dubitet, de qua legitur <sup>a</sup>: *Domum tuam decet sanctitudo?* Sic & *sanctum est templum ejus, mirabile in æquitate* <sup>b</sup>, sed & civitatem sanctam Joannes sese vidisse testatur. *Vidi, inquit* <sup>c</sup>, *sanctam civitatem Hierusalem novam descendentem de cœlo, à Deo paratam, tanquam sponsam ornataam viro suo.* In quibus sanè verbis aperire jam cœpi, quod adhuc (fateor) dissimulare volebam. Dico autem quòd eadem Sponsa, quæ Civitas est, sed & Templum quoque & Domus nihilominus sit. Neque id mirum, præsertim cum similiter unus sit qui se ei Sponsum dignatur & Regem & Deum & Patremfamilias exhibere.

Necdum tamen vobis arbitrator satisfactum, donec evidentius quæ *Domus* hujus patrisfamilias, quod hoc *Templum Dei*, quæ *Civitas* Regis istius, quænam denique hujus gloriosi Sponsi *Sponsa* dici & esse meruerit, audiatis. At ego super hoc quidem non parum vereor loqui quid sentiam, ne quem vestrum (quod absit) aut minus fideliter, aut minus humiliter audire contingat: ne quis forsitan ab hoc auditorio aut elatus præ magnitudine gloriæ, aut incredulus exeat præ pusillanimitate spiritus sui. Opto enim semper vos & fideles & humiles inveniri, quod utrunque summopere sit necessarium ad salutem. Solis nanque humilibus ipse dat gratiam, cui etiam sine fide placere impossibile est. Opto igitur & omnibus modis cupio, ut & parvulos & magnos, immò (ut plus miremini) nihil aliud quam grande aliquid eis vos exhibere curetis. Neque enim sine magno animo bona illa tam magna capere, & vim facere poteritis regno cœlorum, non plus quàm idem cœlorum regnum intrare: nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli <sup>d</sup>. Non sum homo profundi sensus, non possum vobis quod non gustaverim, eructare.

PPP ;

Dicam

<sup>a</sup> Psal. 92. d<sup>b</sup> Psal. 64. a.<sup>c</sup> Apoc. 21. a*Duplex nostri  
consideratio.**Vna humiliati-  
onis seu con-  
fusionis, altera  
exaltationis seu  
gloriationis  
profunde de-  
claratur.*<sup>d</sup> Matt. 18. a

Dicam tamen quid interdum in me sentiam acitari, ut si quis forte sibi utile judicaverit, imitetur. Quia enim olim persuasum est mihi, ut miserear animæ meæ <sup>e</sup>, placiturus exinde Deo meo, frequenter de ea recogito: utinam autem magis semper liceret. Erat quando id acitari minime libebat, nempe quod minus (si tamen minus, & non magis minime) diligerem eam. Quomodo enim amat quis, cujus mortem amat? Quod si, ut verum est, & indubitabile, mors animæ iniquitas est, absolutam proinde liquet esse sententiam <sup>f</sup>, quod *iniquitatem qui diligit, odit animam suam*. Oderam ergo eam, & odissem adhuc, nisi hoc mihi quodcumque amoris ejus initium, is qui prior eam dilexerat, contulisset.

*Consideratio  
Humilitatis  
Animæ nos-  
træ secun-  
dum se specta-  
tæ miseræ.*

<sup>g</sup> Isa. 64. b

*Homo totus  
miser & ni-  
hil.*

<sup>h</sup> Gal. 5. a  
<sup>i</sup> Job. 7. d

Ipsius proinde beneficio nonnunquam de eo cogitans, videor mihi in ea, fateor, velut duo quædam contraria invenire. Si ipsam prout in se est & ex se juxta rei veritatem intueor, nihil de ea verius sentire possum, quam ad nihilum esse redactam. Quid modo necesse est singulas ejus miseras enumerare, quam sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis & ignominie impleta? Nimirum si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatus inveniuntur <sup>g</sup>, injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Facile est cuique nostrum, si sua melius universa & sine dissimulatione vestiget, & judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia apostolicæ veritati, & liberè proclamare: *Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit: ipse se seducit* <sup>h</sup>, *Quid est homo, quia magnificas eum* (ait fidelis & devota confessio <sup>i</sup>) *aut apponis erga eum cor tuum?* Quid? Sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil est, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositum est cor divinum?

Recipiemus, fratres, etsi nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. O pater misericordiarum, o pater miserorum, quid apponis erga eos cor tuum? Scio scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Omnes gentes quam non sint, sic sunt ante te, & tanquam nihilum & inane reputabuntur. Siquidem ante te, sed non sic intra te. Sic in judicio veritatis tuæ, sed non sic in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Et non sunt ergò, quia quæ non sunt vocas; & sunt quia vocas. Licet enim non sint quantum ad se, apud

De Dedicacione Ecclesiæ, Sermo V. 487

apud te tamen sunt, utique juxta Apostolum <sup>k</sup>, *non ex operibus iustitiæ, sed* <sup>k Rom. 3. c.</sup>  
*ex vocante.* Sic nimirum sic consolans in tua pietate, quem in veritate  
 tua humiliasti: ut magnifice dilatetur in tuis, qui merito angustiatur in  
 visceribus suis. Siquidem universæ viæ tuæ misericordia & veritas, re- <sup>l Homo in se ni-</sup>  
 quirentibus testamentum tuum & testimonia tua <sup>l.</sup> Testamentum <sup>hilum, at in</sup>  
 utique pietatis, & testimonia veritatis. <sup>Deo magnum</sup>  
<sup>aliquid.</sup>

Lege homo in corde tuo, lege intra teipsum de teipso testimonia ve-  
 ritatis, etiam hac communi luce judicabis te indignum. Lege in corde  
 Dei testamentum quod firmatum est in sanguine mediatoris, & invenies  
 quàm longe aliud spe possidere, quam re tenere videris. *Quid est,* in-  
 quit <sup>m</sup>, *homo qui magnificas eum?* Magnus utique; sed in illo; siquidem <sup>m Job. 7. d</sup>  
 magnificatus est ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui  
 tam magna cura est de eo? *Ipsè enim cura est de nobis,* ait Apostolus Pe-  
 trus <sup>n</sup>. Et Propheta: *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollici-* <sup>n 1. Pet. 5. a</sup>  
*tus est mei* <sup>o</sup>. Plane artificiosa connexio utriusque considerationis, qua  
 velut uno momento descendens pariter & ascendens, & se pauperem &  
 mendicum, & Deum pro se sollicitum vidit. Angelicum est istud as-  
 cendere & descendere simul. *Videbitis,* ait <sup>p</sup>, *Angelos ascendentes &* <sup>p Ioan. 1. 8</sup>  
*descendentes super filium hominis.* Neque enim talis aliqua vicissitudo  
 in eorum ascensionibus & descensionibus est, simul & mittuntur in mi-  
 nisterium propter eos qui hereditatem capiunt salutis, & assistunt vultui  
 majestatis: Deo misericorditer providente, ut & nobis sit consolatio;  
 & eis tribulatio nulla. Alioquin quando æquanimitè paterentur ab il-  
 lo vultu gloriæ, in quem semper prospicere desiderant, propter nos vel ad  
 modicum separari? Denique ipsam audi in Evangelio veritatem <sup>q</sup>. *An-* <sup>q Matth. 18. b</sup>  
*geli eorum,* ait (haud dubium quin parvulorum) *in cælis semper vident*  
*faciem Patris:* Sic videlicet parvulorum custodiæ deputati, ut non priva-  
 ti ullo modo beatitudine sua. Hinc est quod Joannes sanctus civitatem  
*Hierusalem descendentem* vidit, stantem non potuit intueri <sup>r</sup>. Et adverte <sup>r Apoc. 21. a</sup>  
 quòd *descendentem* dixerit, non cadentem. Cecidit enim quondam non  
 minima pars civitatis illius, sed ea quidem minimè sancta, quippe cui gra-  
 vissimus casus fuit quod totius inimica facta est sanctitatis.

Verum hanc quidem ruinam & terribilem catum Joannes videre  
 non potuit, quia necdum erat: sed vidit Verbum quod in principio  
 erat, vidit principium quod Apostolis loquebatur: *videbam Satanam tan-*  
*quam fulgur cadentem de cælo* <sup>s</sup>. Itaque pars illa quæ cecidit, à Deo re- <sup>s Luc. 10. e</sup>  
 paranda est, cum implebit ruinas, & reedificabit muros Hierusalem, non  
 tamen ex his qui ceciderunt. Hæc autem quæ descendens apparuit,  
 jam parata erat, sicut secutus adjunxit <sup>t</sup>: *à Dea paratam.* Siquidem <sup>t Apoc. 21. a</sup>  
 quòd



quòd descendunt non cadunt Angeli sancti, divina præparatio facit, à quo nimirum hæc ipsa eis & voluntas præparata est & facultas. Unde non solum administratorios, sed & missos in ministerium quoque Apostolus restatur". Quidni mittat Angelos, pro quibus & ipse à Patre voluit mitti? Quidni pro eis inclinet cœlos, pro quibus ipse quoque cœlorum rex inclinavit se, ita ut digito in terram scriberet. Domine inclina cœlos tuos parum est. Et descende. Quid ultra? Ut quibus condescendit, faciat etiam coascendere sibi. Cæterum, ut jam dixi, angelicus ascensus & descensus caret vicissitudine, nos autem modo hac, modo illac versari necesse est: quòd nec supra diutius stare liceat, nec expediat infra longius demorari. *Ascendunt*, ait <sup>x</sup>, *usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat.* Ut quid hoc? Propterea sanè anima eorum in malis interim plus tabesceat, quam delectetur in bonis, quòd hæc in re, illa vero tantum in spe videantur haberi. *Quis poterit salvus esse?* dicunt Discipuli Salvatoris <sup>y</sup>. Et ille: *Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum.* Hæc tota fiducia nostra, hæc unica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ.

Sed de possibilitate jam certi, de volûtate quid agimus? Quis scit si est dignus amore an odio? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Hic jam planè fidem nobis subvenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem: ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius spiritum reveletur, & spiritus eius testificans persuadeat spiritui nostro quod filii Dei sumus. Persuadeat autem vocando & justificando gratias per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem. Propterea sanè geminam illam considerationem, alteram quidem iudicii & veritatis, alteram verò non incongruè vocari credimus fidei & pietatis.

Nec mirabile in humanis qualitatibus tam dissimilia reperiri, si solerter advertas quanta & in ipsa eius substantia convenisse videtur diversitas naturarum, Quid enim spiritu vitæ sublimius? Quid verò humiliter limo terræ? Quam profecto tam discohærentium in homine cohærentiam rerum, ipsos quoque sapientes sæculi huius arbitror non latuisse, cum hominem diffinirent, animal rationale mortale: Mirabilis siquidem copula rationis & mortis, mira societas discretionis & corruptionis. Sic nimirum sic in moribus, sic in affectibus, sic in studiis hominum non minor, forte & amplior contrarietas invenitur: ut si totam pravitatem seorsum intuearis, ac rursum quicquid boni videtur inesse, consideres sigillatim, plenum censeas esse miraculo quod tam adversa convenerint. Inde homo nunc quidem *Bar Iona*, nunc verò *Satana* meretur audire. Nolite mirari hoc. Recolite  
ex Evan-

*Gemina consideratio, altera iudicii & veritatis, altera fidei & pietatis.*

*In homine quanta naturarum, morum & affectuum diversitas.*

In Dedicatione Ecclesie, Sermo V. 489

ex Evangelio, cui dictum sit (& utrunque in veritate, nam utrumque ab ipsa veritate dictum) prius quidem, *beatus es Simon Bar Iona* <sup>a</sup>, nec multo post <sup>b</sup>, *vade retro Satana*. Unus ergo utrunque, etsi non utrunque ex uno. Illud enim ex Patre, istud ex homine, ipse tamen utrunque erat. Unde *Bar Iona*? Quia non caro nec sanguis, sed pater ei quod locutus est revelavit. Unde *Satanas*? Quia sapuit quæ erant hominum non quæ Dei.

Jam si utraque consideratione diligenter inspexerimus nos quid sumus, imò in una quam nihil, in altera quam magnificati, quippe pro quibus etiam solitudinem gerat tanta maiestas, & cor suum apposuerit erga nos; puto temperata videtur gloriatio nostra, sed forsitan magis aucta est, solidata tamen, ut non in nobis, sed in Domino gloriemur, quibus nimirum in hoc solo respirare est, ut dicamus. Si decreverit salvare nos, continuo liberabimur.

Ex hoc jam in illa superiori specula vel paululum immorantes quæramus *domum Dei*, quæramus *templum*, quæramus *civitatem*, quæramus & *sponsam*. Neque enim oblitus sum, sed cum metu & reverentia dico, nos sumus. Nos inquam sumus, sed in corde Dei. Nos sumus, sed ipsius dignatione non dignitate nostra. Non usurpet quod Dei est, ut non apponat homo magnificare seipsum. Alioquin quod illius erat faciens Deus, exaltantem se humiliabit. Quòd etsi nos puerili animositate gratis salvari volumus, meritò non salvamur. Excludit miseriæ dissimulatio miserationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præsumptio dignitatis; provocat verò compassionem humilis confessio passionis. Sanè hæc sola facit, ut nos ipse tanquam dives paterfamilias alat in fame, & sub eo panibus abundantes inveniamur proinde *domus* eius, cui nunquam deest alimonia vitæ. Et memento quòd domum suam domum orationis esse diffiniat <sup>c</sup>: quia & hoc prophetico satis videtur testimonio convenire: qui ab ipso nos, in orationibus utique, cibandos pane lachrymarum <sup>d</sup>, & in lachrymis potum asserit accepturos. Cæterum juxta eundem Prophetam <sup>e</sup>, sicut supra quoq; meminimus, *domum istam decet sanctitudo*, ut videlicet pœnitentiæ lachrymas puritas continentie comitetur, & quæ jam domus est, fiat subinde etiam *templum* Dei, *Sancti estote*, inquit <sup>f</sup> *quia sanctus sum Dominus Deus vester*. Et Apostolus <sup>g</sup>: *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, & Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet eum Deus*.

Nunquid tamen vel ipsa jam sanctimonia sufficit? Pax quoque necessaria est, Apostolo teste <sup>h</sup>, qui ait: *Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimonia, sine qua nemo videbit Deum*. Hæc est quæ facit unius moris habitare fratres in unum, novam utique Regi nostro vero pacifico ædificans

<sup>a</sup> Matt. 16. e  
<sup>b</sup> Ibidem. d\*

Consideratio  
gloriationis  
nostræ in Deo  
nos ita magni-  
ficante.

Homo miseriæ  
suam non ad-  
gnosens ex-  
cludit DE I  
miserationem.

<sup>c</sup> Matt. 21. b  
*Quomodo nos  
simus Domus  
summi Patris-  
fam.*  
<sup>d</sup> Psal. 79. a  
<sup>e</sup> Psal. 92. d  
*Et templum  
DE I.*  
<sup>f</sup> Levit. 19. a  
<sup>g</sup> 1. Cor. 6. d

<sup>h</sup> Heb. 12. d

*Civitas quo-  
que summi  
Regis.*

*Deniq; spon-  
sa celestis  
sponsi.*

*i Ose. 2. d*

*Luc. 15. b*

*2. Efd. 8. b*

*1. Pet. 5. b*

*b Gen 28. d*

ædificans civitatem, quæ & ipsa Hierusalem nominetur, quod est visio pacis. Ubi enim sine fœdere pacis, sine observantia legis, sine disciplina & regimine acephala multitudo congregata fuerit, non populus, sed turba vocatur: non est civitas, sed confusio: Babylonem exhibet, de Hierusalem habet nihil. Sed quemadmodum fieri posse videbitur, ut Rex tantus in sponsum transeat, civitas promoveatur in sponsam? Sola hoc potest, quæ nihil non potest: charitas fortis ut mors. Quomodo non facile istam levet, quæ illum jam inclinavit? Verum hinc tibi nullatenus consulenda prior illa, quam diximus consideratio tui, hic quàm potissimum fidei magnanimitas exercet. Denique & ipse ait: *Desponsavi te mihi in fide, desponsavi te in iudicio & iustitia* (eius, non tuam intellige) *desponsavi te in misericordia & miserationibus.* Si non fecit ille quod sponsus, si non tanquam sponsus amavit, si non zelatus est tanquam sponsus, non acquiescere sponsam te arbitrari.

Itaque, Fratres mei, si per abundantem refectionem magni Patris familias domus esse probamur, si templum DEI per sanctificationem, si civitatis summi Regis per socialis vitæ communione, si sponsa immortalis sponsi per dilectionem, puto jam non esse quod dicere verear nostram esse solennitatem. Nec miremini quòd in terris agitur hæc celebritas, siquidem agitur & in cœlis. Nempe si (ut veritas ait, & non potest non esse verum) *super uno peccatore penitentiam agente gaudium est in cœlis etiam Angelis DEI,* non est dubium multiplex esse super tam multorum penitentia peccatorum. Adhuc amplius vultis audire? Etiam *gaudium Domini, sortitudo nostra.* Collatemur ergo Angelis Dei, congaudeamus Deo, & in gratiarum actione præsens solennitas agatur: quia quanto nobis domestica, tanto amplius debet esse devota.

### IN DEDICATIONE ECCLESIAE,

#### S E R M O VI.

**D**omestica nobis celebritas dedicatio domus nostræ? magis autem domestica nostra ipsorum dedicatio. Nostra siquidem illa aspersio, nostra illa benedictio, nostra consecratio fuit; quæ per manus sanctorum celebrata Pontificum, etiam hodie anniversario reditu votivis laudibus ad memoriam revocatur. Nunquid de lapidibus cura est DEO? Non parietes dicunt, sed homines: *Ipsi enim cura est de nobis.* Unus homo erat Jacob, & dormiens vidit descendentes Angelos & ascendentes: Parum est hoc, etiam Dominum Angelorum adesse restatus est dicens: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Miratur enim gratiam, & dignationis magnitudinem expavescit. Quam terribilior est iste locus, quam

quàm evidentius certiusque Dominus est in loco isto; ubi nimirum non modo duo aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseverant? Nemo jam nesciat, nemo vestrum ignoret. Siquidem non accepimus spiritum mundi huius, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à DEO data sunt nobis<sup>c</sup>. Terribilis planè locus, & dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant; quem Angeli sancti frequentant; quem sua quoque præsentia Dominus ipse dignatur.

*Locorum sacerorum dignitas obiectum piorum, visitationem Angelorum & ipsius Dei præsentiam.*

*1. Cor. 2. c*

Quomodo enim tantus Patriarcha nescire potuerat quod non esset locus, ubi non esset Deus? Sed fortè aliud esse miratus est ubi ait: *Vere Dominus est in loco isto*. Ibi verè est, & verè Dominus est, ubi in eius nomine Angeli simul & homines congregantur. Licet enim in omni loco sit, qui nullo clauditur loco, signanter tamen dicimus: *Pater noster qui es in cælis*; quòd aliter illic & proprio quodam modo præsentem se exhibeat, non quidem ipse diversus, sed diversa distinguens. Est ergo in omni loco omnia universaliter continens, omniâque disponens; sed longè tamen aliter atque aliter. Apud homines malos est præstans atque dissimulans: apud *electos* homines operans & servans: apud *superos* paciscens & cubans: apud *inferos* arguens & damnans. Facit solem suum oriri etiam super malos; sed ubi malorum interim dissimulatio est, quodammodo veritas non est. Itaque si dicere licet, apud impios est in dissimulatione; apud justos in veritate; apud Angelos in felicitate; apud inferos in feritate sua. Durum vobis sonat quòd *feritate* dixi? ego verò & iram vereor & furorem. *Domine ne in furore tuo arguas me, &c*<sup>d</sup>. Verè, inquit, *Dominus est in loco isto*. Ubi enim pluit super justos & iniustos, *Pater* est, pater misericordiarum, expectans homines ad pœnitentiam. Ubi damnat obstinatos, *Iudex* est, & horrendū incidere in manus Dei viventis<sup>e</sup>. Ubi cubat, *Sponsus* est: & beata anima quam introduxerit in cubiculū suum.

*Deus qui ubique est, quomodo alicubi dicatur esse peculiariter.*

*d Psal. 6. a*

*e Heb. 10. f*

Cæterum in loco isto verè Dominus est, si tamen serviamus ei in spiritu & veritate. Non enim verè Dominus erat apud eos quibus dicebat<sup>f</sup>: *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Testatur sacra litteræ<sup>g</sup> in paradiso olim positum primum Adam, ut operaretur, & custodiret illum. Sic secundus Adam in Ecclesia Sanctorum, in congregatione suorum, in horto deliciarum (siquidem deliciae suæ esse eum filiis hominum) ita, inquam, & ipse Dominus est in loco isto, ut operetur atque custodiat. Alioquin sicut, *nisi quia Dominus adificaverit domum, in vanum laboraverunt qui adificant eam*<sup>h</sup>: sic nihilominus nisi ipse custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Porro Angelos ascendentes & descendentes esse in loco isto, Patriarchalis ipsa visio manifestat<sup>i</sup>. *Ascendentes*, ut videant faciem Patris, *descendentes*, ut provideant

*f Luc. 6. g Gen. 2. c*

*h Psal. 126. a*

*i Gen. 28. d\**

*Quanta re-  
verentia in  
locis sacris  
versandum.*

nobis. Quid ergo nos quomodo hic esse debemus, in quanta reverentia stare in loco isto, ubi DEUS est operans, & servans ascendentes & descendentes? Nimirum poenitentes & expectantes esse nos convenit. Hoc est enim oblivisci, quæ retrò sunt, ignorare, reprobare, recogitare annos illos in amaritudine animæ nostræ, ac deinceps cogitatione simul & aviditate extendere nos in anteriora. Ad hoc venimus, in hoc positi sumus. Hæc sunt quæ exiguntur à nobis, præteritorum poenitudo peccatorum, & futurorum expectatio præmiorum.



## S. PATRIS BERNARDI

In Psalmum XC. *Qui habitat.*

### SERMONES.

P R Æ F A T I O.

a 4 Reg. 4.

*Tribulatio  
piis consola-  
tio.*

b Heb. 1. a

**C**onsidero labores vestros, Fratres, non sine magno miserationis affectu. Quæro consolationem quam exhibere possim; & corporalis occurrit: sed ea non prodest quicquam magis & obesse plurimum potest. Siquidem modica sementis detractio, non modicum messis est detrimentum: & si poenitentia vestra minuatur miseratione crudeli, paulatim gemmis corona vestra privatur. Quid tamen agimus? Ubi Prophetæ farinula? Siquidem mors in olla est, & mortificamini tota die in jeuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, præter ea quæ intrinsicus sunt, contritio cordium, & multitudo tentationum. Mortificamini, sed propterea qui mortuus est pro vobis. Quod si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit consolari. Apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio magna quædam consolatio poterit inveniri. Nonne enim certum est supra vires humanas, ultra naturam, contra consuetudinem esse quæ sustinetis? Alius igitur portat ista, ille sine dubio qui secundum Apostolum portat omnia verbo virtutis suæ<sup>b</sup>. Nonne ex hoc jam suo ipsius gladio